

rumplicarum 16. Inter Episcopos numerantur 26. Galli, Illyrici tres, Graeci sex. Sub Paulo III. habitae sunt 10. Sessiones, sub Julio III. sex. sub Pio IV. novem, in summa 25. In ultima, quae sancta fuerat sub Paulo & Julio, approbata sunt, & omnia ad petitionem Patrum confirmavit Pius IV. Bulla data 7. Kalendas Februarii anno 1564. Acta hujus Concilii fusiis & distinctis non refero, quia ubique publici juris facta, omnium manibus tenentur.

Petes, utrum Concilium Trident. quantum ad disciplinam sit receptum in Gallia. Dico: quantum ad disciplinam, quia quantum ad decreta fidei in Gallia, sicut in universa Ecclesia, summo & venerabundo consensu esse receptum, nemo ambigit. Ad petitionem, R. verbis duorum insignium inter Gallos Scriptorum, Joannis Cabassutii & Joannis Pontas. Cabassutius Notitia Ecclesiastica seculi 16. pag. mihi 599. de Concilio Trid. haec habet: *Postremo Edictum confirmationis sacrosancti Concilii publicatum Romae 7. Kalendas Februarii anni 1564. universus Clerus Gallicanus in Provincialibus, quae passim supra Gallia postea coacta sunt, Conciliis, atque in generalibus sacri Cleri Comitibus, sacrosanctae hujus Synodi decreta ita complexus est, ut nefas sit ei refragari.*

Pontas verbo Beneficior casu 27. sic loquitur gallice: *Le Concile de Trente a été reçu unanimement par l'assemblée generale du Clergé de l'Eglise Gallicane, convoquée & tenue a Paris en l'année 1615. ainsi qu'on le voit par les pieces contenues dans les memoires du Clergé. Après une longue & pure deliberation, disent les Prelats assemblez, du commun & unanime consentement de l'assemblée, la résolution suivante y a été faite: Les Cardinaux, Ar-*

chevques, Evêques, Prelats & autres Ecclesiastiques soussignés, representans le Clergé general de France, assemblez par la permission du Roi au Convent des Augustins a Paris, après avoir murement delibéré sur la publication du Concile de Trente, ont unanimement reconnu & déclaré, reconnoissent & déclarent, qu'ils sont obligés par le devoir & conscience a recevoir, comme de fait ils ont reçu & reçoivent le dit Concile, & promettent de l'observer tant qu'ils peuvent par leur soction & auctorité spirituelle & pastorale. Quae sic latine redduntur: Concilium Trid. unanimiter fuit receptum a Conventu generali Cleri Ecclesiae Gallicanae, convocato & congregato Parisiis anni 1615. prout constat ex Actis contentis in Commentariis Cleri. Post maturam & longam deliberationem, inquit Praesules congregati, communi & unanimi consensu catus, decretum sequens in eo fuit editum: Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Prelati, & alii Ecclesiastici subscripserunt, representantes Clerum generale Galliae, congregati cum licentia Regis in Conventu Augustinianorum Parisiis, post maturam deliberationem super publicationem Concilii Trid. unanimiter agnoverunt & declaraverunt, agnoscunt & declarant, se tenuri ex officio & conscientia recipere, sicut de facto receperunt & recipiunt praefatum Concilium; promittuntque illud observare, quantum possunt vi sui officii & auctoritatis spiritualis ac pastoralis. Huic decreto subscriperunt 51. tam Cardinales, quam Archiepiscopi & Episcopi, quorum nomina refert laudatus Pontas ibidem, & 28 alii Ecclesiastici deputati.

Alia Digressiones historicas praesenti Tractatui non inserimus, quia totas fermé est historicis.

TRACTATUS DE SPE.

DISSERTATIO UNICA.

D. Thom. a Quæst. 17. ad 22.

ARTICULUS I.

Quid sit Spes?

Spes, generaliter sumpta, (2. 2. q. 40. a. 2. o.) est *Motus appetitivus partis in bonum futurum arduum, seu difficile, possibile tamen adeptu.* Dicitur *Bonus* (Ib. a. 1. o.) quia, licet antiqui quandoque dixerint, Spem esse etiam malorum, hac tamen acceptio est valde impropria: non enim proprie loquendo est Spes nisi de bono, & per hoc Spes differt a timore, qui est de malo. Dicitur *Futurum*, quia non est Spes de praesenti jam habito, & per hoc differt Spes a gaudio. Dicitur *Arduum*, id est, difficile adeptu; non enim aliquis dicitur sperare quid minimum, quod statim est in sua potestate, ut habeatur: & per hoc differt Spes a cupiditate vel desiderio, quod est de bono futuro simpliciter. Unde desiderium pertinet ad appetitum concupiscibilem, Spes autem ad irascibilem. Dicitur *Possibile adeptu*; nemo enim sperat id, quod adipisci omnino non potest, & secundum hoc Spes differt a desperatione.

Spes verò Theologica definitur potest: *Habitus animi, divinitus infusus, per quem certa cum fiducia aeternae vitae bona auxilio divino obtinenda expectamus.* De ea quaerimus in hoc art. 1. An sit virtus? 2. An sit virtus Theologica? 3. An sit virtus distincta ab aliis virtutibus Theologicis? Potest considerari cum charitate, & dicitur Spes formata; vel sine charitate, & dicitur Spes informis, sicut supra dictum est de fide.

Dico 1. (Hic q. 17. a. 1. o.) Spes Christiana etiam informis est virtus, imperfecta tamen. Prob. 1. pars (Ib.) Sperare Deum eius auxilio possidendum est actus bonus, ad quem, cum sit supernaturalis, voluntas ex se non est determinata & proportionata: ergo debet in eo poni virtus, qua ad illud determinetur & proportionetur, eumque prompte & facile eliciat; non nisi enim in hos fines ponantur in potentiis habitus virtutum. Prob. Ant. Sperare Deum ejus auxilio possidendum,

est actus conformis legi aeternae; tum quia de illo datur preceptum, *Spera in Deum & ipse faciet* Ps. 36. tum quia illo sanctificamur & salvamur, *Omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificabit se* 1. Joann. 3. & *Spe salvi facti sumus* Rom. 8. ergo. Confirm. 1. Spei Christianae etiam informi convenit definitio virtutis; est enim bona qualitas menti a Deo infusa, qua bonè vivitur, & nemo malè utitur, ut principio: ergo. Confirm. 2. Apost. 1. Cor. 12. Spem annumerat fidei & charitati, quae sunt virtutes: item omnes Theologi agnoscunt tres virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem: ergo.

Patet 2. pars. Quia Spes sine Charitate non facit hominem simpliciter bonum; licet enim sit principium actus boni, non tamen meritorii in ordine ad finem ultimum, vitam scilicet aeternam; ideoque non habet statum & modum perfectae virtutis, sicut ante diximus de fide informi.

Dices contra 1. partem. 1. Virtus juxta Philosophum est dispositio perfecti; atqui Spes non est dispositio perfecti, cum sperans careat bono & perfectione, quam sperat: ergo. 2. Praesumptio est sperare beatitudinem sine charitate. 3. Virtus versatur circa difficile, non est autem difficile sperare. 4. Sic se habet Spes ad bonum, sicut timor ad malum; atqui timor non est virtus: ergo. R. ad 1. (Ibid. ad 3.) quod, quamvis ille, qui sperat, sit imperfectus secundum considerationem ad id, quod sperat obtinere, quod nondum habet; est tamen perfectus quantum ad hoc, quod attingit regulam propriam, scilicet Deum, cujus auxilio nititur. Unde D. Maj. Virtus est dispositio perfecti in omni genere, N. Alioquin una tantum esset virtus: in certo genere & materia, C. sic autem Spes est dispositio perfecti, quia perficit voluntatem in suo proprio ordine & propria materia, ut scilicet rectè feratur, innoxia divino auxilio, in aeternam beatitudinem adipiscendam. Ad. 2. D. Ant. Praesumptio est sperare beatitudinem obtinendam sine charitate, C. nec sic sperat, qui est extra charitatem. Praesumptio est sperare sine charitate beatitudinem obtinendam per charitatem, N. Et sic sperat peccator; sperat enim,

saltem tacite, consequi remissionem peccatorum, & ita charitatem obtinere, atque per eam vitam consequi aeternam. Ad 3. N. Min. Norunt enim, qui tentationibus desperationis concutiuntur, quam sit difficile sperare. Aliunde, etsi esset facile simpliciter sperare, est tamen difficile sperare eo modo, quo oportet. Ad 4. N. Ant. Spes enim importat actionem, qua insurgimus contra difficultates, & accendimus ad Deum; timor autem importat recessum, & cessationem ab actione; ubi enim est solus timor sine ulla spe, homo non agit, sed succumbit. Porro ad agendum requiritur virtus, non ad non agendum. 2. N. Min. universaliter sumptam; datur enim timor, qui est donum Spiritus S. & potest dici virtus.

Dico 2. (Ib. a. 5. & 6. o.) Spes est virtus Theologica a fide & charitate distincta. Prob. 1. pars (Ibid. a. 5. o.) illa virtus est Theologica, cujus objectum immediatum est Deus; atqui objectum immediatum virtutis spei est Deus possidendus, ut constat ex art. seq. ergo. Prob. 2. pars (Ibid. a. 6. o.) Virtutes distinguuntur penes objecta formalia; atqui objectum formale spei distinguitur ab objecto formali fidei, & charitatis: Objectum enim formale fidei est Deus ut verus, charitatis Deus ut in se bonus, spei Deus ut nobis bonus: ergo. Confirm. (Ibid. in a. 5. c.) Ubi non est distinctio, ibi non est numerus; atqui spes ab omnibus passim annumeratur aliis virtutibus Theologicis, Apost. 1. Cor. 13. *Nunc manent fides, spes, charitas, tria haec, &c.* Gregorius l. 2. moral. 28. dicit, esse tres virtutes, fidem, spem, & charitatem; & sic alii passim: ergo.

ARTICULUS II.

Quodnam sit objectum Spei?

Præmitto, quod jam observavi de fide, & alibi, triplex distingui objectum potentiae, aut habitus: Materiale, & formale; formale duplex, formale *Quod*, & formale *Quo*. Objectum materiale est id omne, quod attingitur a potentia, & habitu; Formale *quod* est id, quod in objecto materiali principaliter, & ratione sui attingitur, cetera ratione illius: Formale *quo* est motivum, & ratio, propter quam, & sub qua objectum materiale attingitur. Exemplum poni solet in potentia visiva; est objectu materiale, & extensivum est omne corpus coloratum lucidum: Objectum formale *quod*, seu ut dicunt attributionis, est color: Objectum formale *quo*, lux. Difficultas est de objecto formali *quod*, & formali *quo* Spei.

§. I. Quodnam sit objectum formale quod Spei?

Suppono 1. Objectum materiale adaequatum, & extensivum Spei esse aeternam beatitudinem, & omnia ad illam conducentia; quia haec omnia cadunt sub objecto *quo*, seu sub ratione formali Spei, quae est omnipotentia auxilians, ut dicam §. seq.

Suppono 2. Inter haec omnia Beatitudinem esse objectum primarium & principale, quod dicitur formale *quod*; quia est id, quod principaliter primò per se, & ratione sui speratur, cetera autem ratione illius. Unde sub diverso respectu est objectum materiale, & formale: ut res sperata determinata a motivo sperandi est objectum materiale, sicut cetera: ut res principaliter, & ratione sui sperata, & ratio, propter quam illa speratur, est objectum formale *quod*; seu, si major materiale principaliter, cetera materiale secundarium. Et haec constant inter Theologos: sed difficultas est, quae beatitudo sit objectum formale *quod* Spei, an formalis, an objectiva? Beatitudo objectiva est ipse Deus; formalis est possessio Dei, seu visio beatifica, qua possidetur, ut explicatum est in Tract. de Beatitudine.

Dico (Ib. a. 2. o.) Objectum formale *quod* Spei non est beatitudo formalis, sed objectiva connotans tamen beatitudinem formalem, seu visionem beatificam. Prob. 1. (Ib.) Spes, ut dicam §. seq. innititur omnipotentiae divinae auxilianti, cuius virtus est infinita; atqui virtuti infinitae debet respondere effectus infinitus, effectus enim proportionatur cause: ergo bonum, ad quod omnipotentia auxilians tanquam ad sibi proprium & proportionatum perducit, est infinitum. Subsumo; atqui beatitudo objectiva, & non formalis, est bonum infinitum: ergo. Bene advertit Joannes a S. Th. Auctorem non dixisse propriam virtutis infinitae esse perducere ad effectum infinitum receptum in creatura; quia creatura non est capax effectus infiniti in se recepti; sed perducere ad bonum infinitum, quod est communicabile modo finito.

Prob. Objectum formale *quod* & immediatum Spei Theol. Billuart. Secunda Quæst.

debet esse aliquid purè divinum, & increatum, ut patet in fide, & charitate; et quia alioquin Religio, quae mediante cultu attingit Deum, foret virtus Theologica quod communiter negatur; atqui sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse, est quid divinum, & increatum, non beatitudo formalis, quae est actus creatus: ergo. Confirm. Idem est objectum, in quod tendit motus spei, seu desiderii, & in quo quiescit, quando illud consequitur: sicut idem est locus, in quem tendit lapis, et in quo quiescit; atqui objectum formale *quod*, & immediatum quietis, & fruitionis Dei, est ipse Deus ut bonum infinitum, non aliquid creatum: ergo.

Prob. 3. Illud est objectum formale *quod* Spei, quod principaliter primò per se, & ratione sui a spe attingitur, & ratione cujus cetera attinguntur; atqui id est sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse, non beatitudo formalis: ergo. Prob. Min. Sperans non quaerit Deum propter possessionem, alias poneret finem ultimum in actu creato, sed quaerit possessionem Dei propter Deum. Item non quaerit possessionem Dei ut rem beatificantem, sed ut modum, & applicationem Dei beatificantis, ita ut tota ratio beatificans sit ipse Deus. Sic avarus quaerit pecuniam ut rem, possessionem autem non quaerit ut rem; non enim quaerit possessionem ut possidendam, sed ut modum, & applicationem rei possidendae: ergo.

Prob. 2. pars: Deus non est objectum spei, nisi ut possidendus; atqui possidetur per visionem beatificam, quae est beatitudo formalis: ergo in objecto formali *quod* spei importatur de conato, & in obliquo visio beatifica, seu beatitudo formalis, tanquam conditio, & applicatio objecti formalis.

Ex his colliges, quod neque aggregatum ex beatitudine formali, & objectiva possit dici objectum formale *quod* spei: tum quia istud aggregatum non est quid purè divinum, & increatum; tum quia beatitudo formalis, & objectiva, in objecto spei non sunt duae res, aut duae cause, sed una res tantum, & una causa cum applicatione cause; ita ut tota ratio formalis objecti sit beatitudo objectiva, seu Deus; ejus autem possessio conditio tantum requisita, ut beatificet: sicut, dum ignis applicatus ligno comburit, ignis, & applicatio non sunt duae cause, sed una tantum, quae est solus ignis; in eo solo enim est tota virtus comburendi, in applicatione nulla, sed requiritur dumtaxat, ut virtus ignis attingat lignum, & in ipsum agat.

Solvuntur objectiones.

Obi. 1. Spes supponit amorem concupiscentiae, & ex illo oritur; atqui Deus non potest amari amore concupiscentiae: ergo Deus ipse non potest esse objectum formale *quod* spei, sed beatitudo formalis. Prob. Min. Quod amatur amore concupiscentiae, amatur propter aliud: sic qui amat cibum & potum ad sui conservationem, illos amat propter se, & ad se eos ordinat; atqui Deus non potest amari propter aliud, & ad illud ordinari, cum sit ipse finis ultimus, ad quem omnia debent referri: ergo. R. solutione communi, N. Min. Ad Prob. D. Maj. Quod amatur amore concupiscentiae, amatur propter aliud, Tò Propter dicente aliquando finem cui, seu subjectum per rem amaram perficiendum, C. ad cujus sensum distincta Min. N. Conseq. Dupliciter itaque aliquid potest amari amore concupiscentiae, t. sic ut res amata referatur ad amantem tanquam ad finem: ut cum appetimus cibum, & potum in nostram conservationem: hoc modo Deus non potest amari amore concupiscentiae, quia hoc esset ipsum ordinare ad aliud tanquam ad finem, cum ipse sit finis omnium. Alio modo potest aliquid amari amore concupiscentiae, sic ut res amata habeatur semper ut finis, sed amatur alteri tanquam subjecto per hunc finem perficiendo: sic Deus dilexit mundum, ut illi Filium suum unigenitum daret; non quasi ad nos tanquam ad finem ordinaverit Incarnationem Filii, sed nobis tantum tanquam subjectis per illam salvandis, ad se autem tanquam ad finem ultimum. Sic iterum, dum desidero alicui beatitudinem aeternam, non ordino beatitudinem ad ipsum tanquam ad finem, sed ipsi tanquam subjecto, ut bene illi sit per illum tanquam per suum ultimum finem: similiter ergo cum amo Deum amore concupiscentiae, ipsum non refero ad me tanquam ad finem; quin e contra ipsum amo mihi, quia est ultimus finis meus, & ipsi incharere, ut ultimo fini, est summa animae meae felicitas. Dumtaxat ergo refero ipsum ad me, ut ad subjectum per illum perficiendum tanquam per ultimum finem meum, in quo non tantum

tum non est perversio, sed totius rectitudinis consummatio.

Inferes: ergo iste amor, qui comittitur spem, est amor charitatis, & con concupiscentie. Prob. Illatio; fertur in Deum, ut ultimum finem; atqui talis amor est charitatis: ergo. R. N. Illationem: ad Probat. D. Ant. Fertur in Deum ut ultimum finem, ut bene illi sit, N. Hoc pertinet ad amorem charitatis; ut bene illi sit, C. Et hoc est amoris castre concupiscentie.

Obj. 2. Objectum spei est futurum; atqui Deus non est futurus: ergo. R. D. Maj. Objectum spei est futurum in se, N. In sui assecutione, C. Sic pecunie, quas sperat avarus non sunt futuræ in se, sed ut assequenda tantum.

Inferes: ergo Deus, ut assequendus, est objectum spei. R. D. Illationem: Deus, ut assequendus, est objectum spei, Ly ut dicente conditionem, seu modum intrinsecum objecti, C. Dicente rationem formalem objecti, N. Ratio enim formalis objecti, quæ per se primo attingitur a spe, est ipse Deus ut nobis bonus: sic objectum fidei necessarîo est obscurum, obscuritas tamen non est ratio formalis objecti, sed conditio tantum, & modus illius intrinsecus.

Obj. 3. Idem est objectum spei, & delectationis in Patria; atqui objectum delectationis in Patria non est Deus, sed ejus possessio: ergo. R. N. Min. Delectatur enim beatus in Patria primario de ipso Deo, secundario de ejus possessione; Deus enim est objectum beatificans, & possessio conditio tantum requisita, ut beatificet. Vide plura in Tract. de Beatitudine.

Obj. 4. Deus non est nobis immediatè bonus, sed mediante visione beatifica: ergo nec objectum immediatum spei. R. N. Ant. Quamvis enim mediis visio beatifica, non mediis ut res, sed ut conditio, & applicatio boni, quod non impedit, quin Deus sit nobis immediatè bonus: sicut unio inter materiam, & formam non impedit immediatam utriusque unionem; nec applicatio ignis ad stupam impedit, quin ignis immediatè comburat stupam.

Obj. 5. Objectum spei est præmium in Patria conferendum; atqui istud præmium non est Deus, sed ejus possessio: ergo. Prob. Min. Præmium in Patria conferendum causatur a meritis nostris; atqui Deus non causatur a meritis nostris: ergo. R. N. Min. Ad Probat. D. Maj. Præmium conferendum in Patria causatur in se a meritis nostris, N. Ut conferendum, C. Id est, merita nostra non sunt causa, cur Deus sit summum bonum nostrum, & præmium, sed sunt causa, cur nobis conferatur. Et ita contingit in omnibus præmiis. Sic miles generosè pugnando dicitur meruisse equum, non quod merita causent equum, sed sunt causa, cur ipsi conferatur equus.

Obj. 6. Spes, & desperatio, cum sint opposita, versantur circa idem objectum; atqui desperatio non versatur circa Deum, sed circa ejus possessionem: ergo. R. 1. D. Maj. Spes, & desperatio versantur circa idem objectum, & eodem modo, N. Diverso modo, C. Desperatio namque versatur circa Deum destruendo possibilitatem assecutionis, sine qua Deus non est objectum spei. 2. Negatur Min. Desperatio enim principaliter est de Deo consequendo, licet possit esse etiam de aliis, quia vultum est; vitium autem contingit multis modis a virtute deficere.

§ II. Quodnam sit objectum formale quo Spei?

Dico (Q. unica de Spe a. 1. & hic q. 17. a. 1.) Objectum formale quo spei est omnipotentia auxilians, id est præbens, aut offerens auxilia. Est certò D. Th. locis cit. q. de spe, ubi dicit: *Spes adipiscendi vitam æternam habet duo objecta, scilicet vitam æternam, quam quis sperat, & auxilium divinum, a quo sperat.* Idque explicat ex paritate objecti fidei, quod sicut fides innitur tanquam motivo primæ veritati revelanti, sic spes auxilio divino. Nec obstat, quod hic a. 3. & q. citata requirit, quod objectum spei sit arduum, ita & nos requiramus; sed negamus, arduitate esse rationem, ob quam speramus beatitudinem, quin imò potius spem retardaret. Porro per auxilium divinum in S. Th. intellige non auxilium creatum, & in homine receptum, sed ipsam omnipotentiam auxiliantem; quia objectum virtutis Theologicæ debet esse aliquid divinum, & increatum.

Prob. illud est motivum formale quo spei, quod est motivum, & ratio, cur speramus, seu spectamus a Deo certa cum fiducia beatitudinem æternam, & media ad illam conducentia; atqui istud motivum est omnipotentia auxilians: ergo. Prob. Min. non possumus sperare certa cum fiducia beatitudinem, nisi ab eo quem novimus posse, & velle eam dare; atqui Deus ut omnipotens potest eam

dare, & ut auxilians, seu præbens, aut offerens auxilia vult illam dare: ergo. Confirm. Illud est objectum formale quo spei, in quod fit ultima ejus resolutio; sicut objectum formale quo fidei est illud, in quo fit ultima ejus resolutio, ut dictum est; atqui ultima spei nostræ resolutio fit in omnipotentiam auxiliantem. Quærenti enim, cur speras beatitudinem, adæquatè respondes, quia Deus potest, & vult illam dare: sicut quærenti, cur credas Deum esse unum & trinum, adæquatè respondes, quia Deus, qui verax est, revelavit.

Dices 1. Omnipotentia auxilians habet rationem causæ efficientis tantum, non formalis specificativæ: ergo. R. N. Ant. Habet namque rationem utriusque causæ sub diverso respectu; quatenus causatur auxilia ad salutem conducentia, est causa efficiens: quatenus causando, & conferendo hæc auxilia, nos movet ad sperandum beatitudinem, habet rationem causæ formalis extrinsecæ, & specificativæ.

Inst. objectum formale quo spei debet habere aliquam rationem boni; atqui omnipotentia auxilians non habet rationem boni, sed emis: ergo. R. N. Maj. Quamvis enim vera sit de objecto formali, quod expectatur a spe, id tamen non requiritur ad objectum formale quo; quia non est id, quod a spe expectatur, sed cui spes innitur ad sperandas difficultates; quod quidem dici potest bonum ut quo, licet non ut quod.

Dices 2. Amor, quo amamus Deum ut summum bonum nostrum, est actus spei; atqui objectum formale hujus amoris non est omnipotentia auxilians, sed bonitas divina ut nobis conveniens: ergo. Min. est certa. Patet etiam Maj. Quia iste amor non est actus charitatis, cum charitas terminetur ad Deum ut bonum in se: ergo. R. N. Maj. Amor enim non est actus spei, sed supponitur a spe, quatenus non speramus nisi amatum. Ad Prob. N. Ant. Quia licet charitas primario respiciat Deum in se bonum, secundario tamen respiciat proximum. Dum ergo homo amat Deum ut sibi bonum, ejus amor respectu Dei est amor concupiscentiæ, seu charitatis respectu sui; est enim sibi maximè proximus. In his verò, in quibus non est charitas, iste amor est ab auxilio actuali supplente vicis habitus charitatis.

Petes 1. Utrum sperare alteri salutem sit actus virtutis spei? R. (Hic a. 3. o.) Spes directè respicit solum bonum operantis; quia actus spei est quidam motus, seu proptensio appetitus; motus autem est semper ad proprium terminum proportionatum mobili, & ideo spes directè respicit, proprium bonum non alienum. Sed, supposita unionem amoris, etsi naturalis tantum, puta quo homo alios homines in natura similes diligit, & bonum alterius, quasi suum reputat, tunc potest sperare alteri vitam æternam; sicut enim eadem est virtus charitatis, qua quis diligit Deum, & se ipsum, ita est eadem virtus spei, qua quis sperat sibi, & alteri. Adde, quod sperare nobis; aut alteri beatitudinem, habeat idem objectum formale quod & quo.

Dices 1. Sperare alteri beatitudinem est velle illi bonum; atqui velle alteri bonum est actus charitatis, & non spei: ergo. R. Dara Maj. D. Min. Velle alteri bonum ut illius bonum simpliciter est actus charitatis, C. Ut bonum arduum, & difficile adeptum, N. Sic enim non est actus charitatis, sed spei.

Dices 2. Si sperare beatitudinem alteri sit actus spei: ergo desperare de ejus beatitudine est actus oppositus spei: ergo destruit spem in sperante, quia omnis actus moraliter malus oppositus virtuti infusæ illam destruit; atqui falsum Consequens: ex eo enim quod desperem de aliquis salute, non sequitur, quod amittam spem respectu mei. R. D. primum Illatum: Desperare contrariè de salute alterius, diffidendo scilicet de omnipotentia auxiliante, quasi insufficiente ad salvandos homines, est actus oppositus spei, C. Et sic destrueret etiam spem propriam, quia destrueret rationem formalem spei. Desperare negativè de salute alterius, cessando scilicet ab actu sperandi, quia diffido, non de auxilio Dei, sed de meritis alterius, sicut desperamus de salute Antichristi, v. gr. est actus oppositus spei, N. Quia non tollit rationem formalem spei, nec consequenter destruit spem propriam.

Petes 2. Utrum liceat sperare in homine? R. (Ibid. a. 4. o.) Non licet sperare in homine, sed in solo Deo tantum in primariâ causa nostræ beatitudinis; quia ipse solus tanquam causa principalis ad eam nos perducere potest: licet autem sperare in homine, vel in aliqua creatura, tanquam in agente secundario, & instrumentali, per quod adjuvamur ad quæcumque bona consequenda in bea-

beatitudinem ordinata: & hoc modo convertitur ad Sanctos, & ab aliis hominibus aliqua petimus. Hinc inferes, etiam esse licitum, spem aliquam ponere in propriis meritis ex gratia Dei Lactis, tanquam in causis instrumentalibus, siquidem sint media a Deo ad salutem ordinata, & tota fiducia ultimâ refundatur in ipsum Auctorem gratiæ & meritum.

ARTICULUS III.

De subjecto Spei.

Quesitio (Hic q. 13. a. 1. o.) non est de subjecto quo & partiali spei, quod certum est esse voluntatem; cum enim objectum spei sit bonum, actus spei est necessarîo actus appetitus, non sensitivi, quia objectum non est quid sensibile, sed quid divinum: ergo, rationalis. Est igitur questio de subjecto quod & totali, seu de habentibus fidem.

Dico 1. Spes remanet in omnibus fidelibus Viatoribus etiam peccatoribus, qui non desperant, vel presumunt: Prob. 1. Quia Tridentinum Sess. 6. c. 6. & Can. 3. & Sess. 14. cap. 3. requirit spem in peccatoribus, qui se ad justificationem disponunt. S. Th. qu. præced. 17. a. 8. docet, spem ordine generationis procedere charitatem, & 1. 2. q. 65. a. 4. fidem & spem posse esse sine charitate. 2. Habitus destruitur, vel per accidens ad destructionem fundamenti, vel per se a suo contrario, aut ex destructione objecti; atqui fundamentum spei, quod est fides, remanet in peccatoribus fidelibus, & peccata quæcumque præter desperationem & presumptionem non sunt spei contraria; remanet etiam objectum spei formale quod, beatitudo scilicet futura, ardua, possibilis; & formale quo, nimirum omnipotentia auxilians quamvis enim peccator non possit sperare beatitudinem adipisci manendo in eodem statu, potest tamen sperare ex omnipotentia auxiliante statum mutare, & eo mutato, beatitudinem per gratiam & charitatem obtinere.

Dices: Virtutes morales infusæ non permanent cum peccato mortali: ergo nec spes. R. N. Conseq. Disparitas est, quod virtutes morales infusæ sint proprietates consequentes ad gratiam: unde ea sublata per peccatum mortale, non remanent proprietates: Fides autem & Spes in adultis præcedunt gratiam, ut mox dicebam ex Trid. & Auctore, & sunt veluti semina gratiæ & virtutum, quæ Deus voluit remanere in peccatoribus, ut possent facilius resurgere.

Dixi 1. In omnibus fidelibus Viatoribus: quia in hæreticis, cum in eis destruat fundamentum spei, quod est fides, destruit etiam spes. Unde, quamvis videantur sperare, spes eorum non est Theologica, sed humana & falsa. Dixi 2. Qui non desperant, aut presumunt, quia desperatio & presumptio contrariantur spei, de quibus articulo subseq.

Petes, utrum spes Viatorum habeat certitudinem? (Ibid. a. 4. o.) R. Si spes spectetur ex parte sui objecti, scilicet Dei omnipotentis auxiliantis, habet certitudinem, fide enim certum est, Deum posse & velle nos salvare, nobisque dare auxilia ad id sufficientia. Si verò spectetur ex parte sperantis, qui ex fragilitate potest deesse gratiæ, non habet certitudinem, sed inde potius est causa timendi, non tamen diffidendi, aut desperandi. Unde certitudo spei in Viatoribus non est absoluta, sed conditionata; sicque intelligitur, quomodo hæc duo stent simul: sperare certa cum fiducia salutem, attenta scilicet omnipotentia auxiliante, & salutem cum timore & tremore operari, attenta nimirum fragilitate nostra.

Dico 2. In (Ibid. a. 3. o.) damnatis non remanet spes: bene tamen in animabus in Purgatorio. Prob. 1. pars. Spes est de beatitudine futura possibilis; atqui ad conditionem miseræ damnationem pertinet, ut ipsi sciant, quod nullo modo possunt damnationem evadere, & ad beatitudinem pervenire. Confirm. Spes fundatur in fide; atqui fides non remanet in damnatis, ut sibi diximus: ergo nec spes: Prob. 2. pars. Respectu animarum in Purgatorio beatitudo est adhuc absens, ardua, & per raves pænas assequenda, sicque objectum spei. Idem dicendum est de Patribus in Limbo, quibus beatitudo pariter erat absens & ardua, hoc sensu quod ejus assecutio est supra eorum vires. Hoc refert, quod utrique sint, aut essent certi de sua beatitudine, quia certitudo non evacuat rationem spei.

Dico 3. Spes Theologica neque quoad actum, neque quoad habitum, manet in Beatis. (Ibid. a. 2. o. & q. de spe

a. 1.) Prob. 1. Ex Apost. Rom. 8. dicente: *Spes qua videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat?* (Ibid. in a. 1. c.)

Prob. 2. (Ibid. o.) Subtrahit eo, quod dat speciem, resolvitur species, & non potest res eadem remanere; atqui in Beatis subtrahitur objectum formale, a quo spes habet speciem: ergo. Prob. Min. Objectum formale spei est beatitudo futura, & nondum habita: ergo in Beatis, &c. Confirm. Id, quod de se importat imperfectionem subjecti, stare non potest in subjecto, quod oppositam perfectionem habet; atqui spes importat de se imperfectionem subjecti, scilicet quod feratur in beatitudinem nondum habitam: ergo stare non potest in eis, qui illam beatitudinem habent.

Solvuntur Objectiones contra hanc altimum Conclusionem.

Obj. 1. Sicut spes est rei non habite ita & desiderium; atqui desiderium, hoc non obstante, est in Beatis etiam circa beatitudinem, secundum illud 1. Petri 1. *In quem Angeli desiderant prospicere*; ergo. R. (Q. de spe a. 4. ad 1.) desiderium ibi non poni proprie, secundum quod est rei futuræ, sed secundum quod excludit fastidium, per modum, quo Eccl. 22. dicitur, *Qui meditantur, adhuc esuriunt.*

Obj. 2. Sicut adeptio beatitudinis est quoddam bonum arduum, ita & ejus continuatio; atqui beati in via sperant adeptioem beatitudinis: ergo nunc in Patria possunt sperare ejus continuationem. R. N. Cons. (Ibid. ad 3.) Quia continuatio beatitudinis non habet rationem futuræ; hoc ipso enim quo aliquis fit beatus, participat eternitatem, in qua non est præteritum & futurum: unde beatitudo illa dicitur vita æterna. Dato etiam, quod haberet rationem futuri, non habet rationem ardui respectu illius, qui jam beatitudinem obtinet; ex hoc ipso enim accipit non solum facultatem, sed necessitatem quamdam nunquam peccandi, sed semper permanendi: & ideo totalitè tollitur ratio spei.

Inst. 1. Ad beatitudinem Sanctorum pertinet, non solum gloria animæ, sed etiam gloria corporis. Sed animæ Sanctorum in Patria expectant adhuc gloriam corporis: ergo illam sperant. R. N. Cons. 1. (Ibid. ad 4.) Quia gloria corporis est tantum objectum secundarium spei, gloria animæ, quæ est fructus divina, primarium: sublato autem objecto primario spei, non remanet spes. 2. Gloria corporis, etsi habeat rationem ardui per comparationem ad naturam humanam, non tamen respectu habentis gloriam animæ; tum quia gloria corporis est minimum quiddam in comparatione ad gloriam animæ; tum etiam quia habens gloriam animæ habet jam sufficientem causam gloriæ corporis. (1. 2. q. 67. a. 4. ad 3.) Sicut ergo non proprie dicitur aliquis, qui habet pecuniam, sperare se habiturum aliquid, quod statim in potestate ejus est, ut emat, sed desiderare tantum; ita qui habent gloriam animæ, non dicuntur proprie sperare gloriam corporis, sed desiderare tantum: non enim omne desiderium est spes, licet omnis spes importet desiderium; quia desiderium est de re non habita, sive ardua & difficili, sive non; spes autem est de re non habita, ardua & difficili.

Inst. 2. Beati sperant beatitudinem Viatoribus: ergo. R. D. Ant. (Hic ad 3.) Beati sperant beatitudinem Viatoribus, spe communitè & late dicta, Transeat; spe Theologica, N. Quamvis enim durante virtute spei in via, eadem spe aliquis speret beatitudinem sibi primario, & aliis secundario, evacuat tamen spe in Beatis, secundum quam sibi primario sperant beatitudinem, cum non sperant aliis spe Theologica, quæ non remanet, sed desiderant potius ex amore charitatis. Dixi: *Transeat Ant.* Quia quidam, inter quos Joannes a S. Th. & Serra, negant Beatos sperare Viatoribus beatitudinem, etiam spe communitè dicta; quia, inquam, respectu Beatorum, non est ardua & difficilis salus Viatorum, sed ex sola horum resistentia; non secus, ac bonis filiis facile est, sicut cibum consuetum, ita & consuetum suæ intercessionis effectum obtinere a Patre, nisi per alios steterit.

Inst. 3. Hi omnes actus, huc usque recensiti, scilicet desiderare sibi continuationem gloriæ, gloriam corporis, alii beatitudinem; nem desiderare Deum sibi bonum, delectationem ex ejus fruitione, &c. sunt actus supernaturales, quibus assignari debet habitus supernaturalis; atqui nullus videtur assignari, nisi spes Theologica: ergo. R. N. Min. (Ibid.) Hi enim actus, ut jam dixi, elicuntur in Beatis a charitate, quæ primario respicit Deum, secundario proximum. Charitate itaque, qua Beatus diligit seip-

seipsum, optat sibi continuationem glorie, gloriam corporis, Deum sibi bonum, delectationem ex eius fruitione; & charitate, qua diligit proximum, optat illi beatitudinem: & iste amor, quatenus attingit bona desiderata, est amor concupiscentie, quatenus autem respicit personas, quibus optatur, est amor charitatis: ex charitate enim mihi & proximo volo bonum aeternum.

Inst. 4. Christus erat comprehensor; atqui tamen habuit spem glorie corporis & exaltationis nominis: dicitur enim in ejus persona Ps. 30. *In te Domine speravi* ergo. R. D. Min. (*Ib. ad 1. & q. de spe. cit. ad 16.*) Christus habuit spem communiter dictam, Transcat; spem Theologicam, N. quia beatitudo essentialis, quæ est obiectum primarium spei Theologicæ, non erat ei futura, sed præsens.

Obj. 3. Idem est principium movendi ad terminum, & quiescendi in termino; atqui spes est principium motus in beatitudinem: ergo est etiam principium quiescendi in termino, sicut est spes in Beatis. R. D. Maj. (*Q. cit. de spe ad 7.*) Idem est principium primum movendi ad terminum & quiescendi in termino, C. Idem est principium secundarium & instrumentale, N. Quædam ergo sunt principia motus, quæ cessant, cum perventum fuerit ad terminum; sicut navis cessat, & impulsus venti, cum perventum fuerit ad portum. Charitas igitur, quæ est primum principium movens, manet in termino beatitudinis, non autem spes, quæ est secundarium principium appropriatum motui.

Obj. 4. Si non remaneat spes in Patria, sicut nec fides, ut alibi dictum est, non remanet etiam charitas. Falsum Consequens: ergo & Ant. Prob. Sequela. Destructo fundamento & pariete, destruitur tectum; atqui in edificio spirituali, fides se habet ut fundamentum, spes per modum parietis, charitas quæ operit per modum tecti: ergo, si non remaneant fides & spes in Patria, nec remanet charitas. R. N. Sequela. (*Ib. ad 4.*) Ad Prob. D. Maj. Destructo fundamento & pariete quantum ad id, quod in eis perfectionis est, destruitur tectum, C. Destructo fundamento & pariete, quantum ad id, quod in eis est imperfectionis, destruitur tectum, N. Itaque fides & spes habent rationem fundamenti, vel parietis ex parte ejus, quod est in eis perfectionis, scilicet ex eo quod fides inhaeret primæ veritati, spes summæ majestati; non autem ex hoc quod est imperfectionis in utroque, in quantum scilicet fides est non apparentium, & spes non habiturum. Et ideo in statu perfectæ beatitudinis, quando charitas, quæ nihil imperfectionis de sui ratione importat, pericitur, fides succedit perfectus fundamentum, scilicet visio aperta, & spei perfectior paries, scilicet comprehensio plena.

Obj. 5. Virtutes Morales, ut Prudentia, Fortitudo, Temperantia, &c. remanent in Beatis, saltem ad ornamentum: ergo a fortiori Spes Theologica, quæ est virtus nobilior moralibus. R. N. Cons. Disparitas est, quod, quamvis Spes sit nobilior virtutibus moralibus, quia respicit nobilissimum obiectum, importat tamen imperfectionem respectu ad illud repugnantem beatitudini, nempe absentiam: unde non potest esse ornamentum in Beatis, qui illud presentialiter possident. At verò virtutes morales sunt tam de presenti, quam de absentibus: unde non important imperfectionem repugnantem beatitudini. Et, quamvis in Patria non remaneat materia, circa quam versantur in via, ut pericula, delectationes sensuum, &c. manet tamen, quod est in eis formale, scilicet rectitudo appetitus conformiter ad rationem, quæ est in ipsis ornamentum.

ARTICULUS VI.

De Dono Timoris. Per quaestiuiculas.

Timor, quo spei fiducia temperatur, mediat inter spem & desperationem, & ideo Auctor prius hic q. 19. de illo agit, quam de desperatione. Est autem timor, vulgariter sumptus, motus appetitus refugientis malum arduum & imminens; seu, ut communiter definitur: futuri & instantis periculi causa mentis trepidatio. Si sit motus appetitus sensitivi, est passio; si appetitus rationalis, est certo sensu Donum Timoris, ut dicam infra.

Petes 1. Utrum Deus possit timeri? (*Hic q. 19. a. 1. o.*) Deum posse timeri, non ut malum nobis imminens, sed ut potentem nobis infligere malum poenæ. Sicut enim spei duplex est obiectum, scilicet bonum, quod speratur,

& id, per quod obtineri potest, ita timoris est duplex obiectum, scilicet malum, quod refugimus, & bonum, seu supra majestatem, quæ potest nobis illud infligere. Unde, in rigore loquendo, timor non solum malum, sed etiam bonum respicit, scilicet infinitam Dei potentiam & majestatem creaturæ in infinitum supereminentem, ideo actus timoris non est solum fugere malum, sed etiam revereri summam Dei majestatem, se illi subicere, atque ad ejus conspectum trepidare. Unde revereri, quasi *avereri se*, & timor quoad hunc actum manet in Beatis, ut dicam infra.

Petes 2. Quotplex sit Timor? R. (*Ib. a. 2.*) esse quadruplicem, mundanum, servilem, filialem, & initialem. Quia hic agimus de Timore mali, prout est in viatoribus, & quatenus per eum avertitur a Deo, aut acceditur ad Deum: contingit enim quandoque, quod homo propter malum, quod timet, recedat a Deo, & est timor mundanus: quandoque e contra propter malum, mor mundanus: quandoque e contra propter malum, quod timet, convertitur ad Deum. Hoc autem malum quod timet, poenæ & culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum propter timorem poenæ, est timor servilis, quia servorum est timere poenam. Si propter timorem culpæ, est timor filialis, nam filiorum est timere offensam Patris. Si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.

Petes 3. Utrum timor mundanus sit semper malus? R. affirmative. (*Ib. a. 3. o.*) Quia timor mundanus, ut mox dicebam, est, quo quis propter malum temporale paratus est Deum offendere, quod est semper malum. Quod si timore mali temporalis paratus sit offendere Deum mortaliter, timor erit mortaliter malus, & propter mundanum, quia sic est dispositus, inmittit mundo tanquam fini, seu constituit finem suum in se creata, quam sic inordinatè amat, ut propter eam velit Deum deserere. Si autem timore mali temporalis velit tantum venialiter Deum offendere, timor erit venialiter malus, & minus proprie mundanus, quia non inhaeret mundo tanquam fini. Et hæc intellige de timore mundano actualem, vel virtuali, non habituali; habitibus enim nec meretur, nec demeretur, sed actibus, ut alibi dictum est.

Petes 4. Utrum timor mundanus sit peccatum distinctum ab eo, quod per illum committitur? R. 1. Qui sic timet amissionem boni temporalis, ut pro eo servando paratus sit actualiter vel virtualiter, & non habitualiter tantum, quodcumque peccatum mortale committere, occurrente casu, v. gr. pejerat ex illo timore, timor est peccatum distinctum a pejerato; quia ante pejeratum jam erat peccatum, ideo in Confessione distinctè exprimentum.

2. Qui timet amissionem boni temporalis, jam aliunde prohibiti, puta, timet non fornicari, & ex hoc timore peccat, puta furatur, timor iste est etiam peccatum speciale & distinctum a furto; aliud enim peccatum est amare fornicationem, aliud amare furtum. 3. Extra hos duos casus timor mundanus non est peccatum distinctum ab illo, quod ex eo committitur, v. gr. quis occasione data metu amittende famæ pejerat, timor iste non est peccatum distinctum a pejerato; quia non est vitiosus, nisi in quantum conjungitur pejerato, unde sufficit dicere in Confessione: pejeravi.

Petes 5. Utrum timor servilis sit bonus? R. (*Ib. a. 4. o.*) Timor servilis secundum substantiam est bonus, secundum servilitatem est malus. Prob. 1. pars. (*Ibid.*) Timor servilis secundum substantiam nihil aliud est, quam timor poenæ; timere autem præcisè poenam, quæ est quoddam malum, bonum est. Unde Christus dicebat: *Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Prob. 2. pars. (*Ibid.*) Servilitas timoris est timere poenam culpæ annexam, ut summum & principale malum, ita ut, si non esset poena, committeretur culpa: hoc autem esse malum, constat; tum quia inordinatum est plus timere minus malum, quale est poena, quam majus, quale est culpa; tum quia non timet poenam ut principale malum, nisi quia bonum proprium, unde oritur timor poenæ, habet tanquam principale bonum & finem ultimum, in quo est perversitas. Verum (*Ibid.*) ista servilitas non pertinet ad speciem timoris, sicut nec infirmitas ad speciem fidei infirmis: species enim moralis habitus, vel actus ex obiecto accipitur; obiectum autem timoris servilis est poena, cui accedit, quod bonum, cui contrariatur poena, ametur tanquam finis ultimus, & per consequens poena timeatur tanquam principale malum, quod contingit in non habente charitatem; vel quod ordinetur in Deum sicut in finem, & per consequens poe-

na non timeatur tanquam principale malum, quod contingit in habente charitatem: unde servilitas non est vitium timoris, sed timens; & ideo timor servilis, secundum substantiam est bonus, servilitas vero mala. Confer, quæ dixi in Tract. de Penitentia Dissert. 4. a. 5.

Petes 6. Utrum timor servilis, & filialis sint idem in substantia? R. negative, (*Ib. a. 5. o.*) quia habent diversa obiecta formalia. Obiectum timoris servilis est malum poenæ, obiectum timoris filialis malum culpæ: unde specie differunt.

Petes 7. Utrum timor servilis remaneat cum charitate? R. (*Ib. a. 6. o.*) Timor serviliter servilis non manet cum charitate, quia servilitas repugnat charitati. Timor autem servilis secundum substantiam remanet cum charitate; quia, sicut amare Deum, & simul stare simul, ita amare Deum, quod est charitatis, & timere poenam, non tanquam principale malum, quod est timoris servilis quoad substantiam, possunt stare simul.

Petes 8. Utrum timor sit initium sapientiæ, & quomodo. R. Timor (*Ib. a. 7. o.*) non est initium sapientiæ quantum ad ejus essentiam, sed quantum ad ejus effectum. Explicetur exemplo artis: sicut initium artis quantum ad ejus essentiam sunt principia, unde procedit ars, sic initium sapientiæ quantum ad essentiam sunt principia, unde procedit: cum autem sit cognitio supernaturalis fidem consequens, principia ejus sunt ipsi articuli fidei, non timor. Est tamen timor initium sapientiæ quantum ad ejus effectum, quia est id, unde sapientia incipit operari; sicut si diceretur, fundamentum esse principium artis edificatorie, quia ibi incipit edificator operari. Aliter tamen timor servilis, & aliter timor filialis. Timor servilis enim quasi principium extra disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore poenæ discedit a peccato, & per hoc habitatur ad sapientiæ effectum. Timor autem filialis, seu castus, est initium sapientiæ, sicut primus ejus effectus: cum enim ad sapientiam pertinet, quod humana vita reguletur secundum rationes divinas, hæc oportet sumere principium, ut homo reveretur Deum, & se ei subiciat; sic enim consequenter in omnibus secundum Deum regulabitur.

Petes 9. Utrum timor initialis differat essentialiter a filiali? R. negative. (*Ib. a. 8. o.*) Quia imperfectum, & perfectum non differunt secundum esse; atqui timor initialis, & filialis differunt secundum imperfectum, & perfectum: timor enim initialis est imperfectus timor filialis per inchoationem charitatis: ergo.

Dices 2. Timor initialis habet pro obiecto malum poenæ, & culpæ: hoc autem obiectum est diversum ab obiecto timoris filialis, quod est solum malum culpæ: ergo. 2. Medium differt eadem ratione ab utroque extremorum; atqui timor initialis est medius inter servilem, & filialem, ut dictum est: ergo essentialiter differt ab utroque, vel a nullo. R. ad 1. (*Ib. ad 2.*) quod timor initialis non timeat poenam tanquam proprium obiectum, sed in quantum habet aliquid de timore servili adjunctum; qui secundum substantiam manet cum charitate, servilitate remota. Unde proprium obiectum timoris initialis est malum culpæ. Ad 2. (*Ib. ad 3.*) Timor initialis est medius inter timorem servilem, & filialem, non sicut inter ea, quæ sunt unius generis, aut quasi compositus ex utroque, sed sicut imperfectum est medium inter ens perfectum, & non ens; et autem imperfectum idem secundum essentiam cum ente perfecto, diversum totaliter a non ente. Item dicitur medius, quia generatione sequitur servilem, & precedit filialem.

Petes 10. Utrum timor servilis sit donum Spiritus S. R. (*Ib. a. 9. o.*) timorem servilem hoc sensu esse donum Spiritus S. quod sit a Spiritu S. non autem numerari inter septem dona Spiritus S. Ratio 1. partis est, quia timore divine justitiæ utiliter concutiuntur peccatores, & disponuntur ad penitentiam, ut dicitur Trid. sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4. nullum autem in nobis est salutare bonum nisi a Deo. Ratio 2. partis est; quia timor servilis potest habere annexam voluntatem peccandi. Dona autem Spiritus S. non possunt esse cum voluntate peccandi, qui non sunt sine charitate. Unde relinquuntur, quod timor Dei, qui numeratur inter septem dona Spiritus S. est amor filialis, sive castus; ut enim alibi dicitur; dona Spiritus S. sunt quaedam habituales perfectiones potentiarum animæ, quibus redduntur bene mobiles a Spiritu S. secundum altiores rationes: sicut virtutibus moralibus potentie appetitive redduntur bene mobiles a ratione. Ad hoc autem quod aliquid sit bonum mo-

bile ab aliquo movente, primo requiritur, ut sit ei subiectum non repugnans; quia ex repugnantia mobilis ad movens impeditur motus. Hoc autem facit timor filialis, vel castus, in quantum per ipsum Deum reveretur, & refugimus nos ipsi subducere. Unde timor filialis quasi primum locum tenet ascendendo inter dona Spiritus S. ultimum autem descendendo, ut dicit Aug. l. 1. de Serm. Dom. in monte c. 9.

Petes 11. Utrum timor servilis sit habitus, & virtus? R. Quod sit habitus; quia dantur habitus ad actus bonos, quales sunt actus timoris servilis: non est tamen virtus; tum quia principaliter est de malo, virtus autem est principaliter circa bonum; tum quia crescente charitate, virtus crescit: timor autem servilis crescente charitate minuitur, ut mox dicam. Unde non est principium perfectæ operationis, qua ratione continentia, licet sit bonus habitus, non tamen dicitur virtus. Neque etiam timor servilis videtur pertinere ad spem, si quidem crescente spe, etiam minuat. Nec obstat, quod S. Th. hic a. 6. dicat, esse ejusdem rationis, quod homo cupiat bonum suum, & quod timeat eo privari; hoc enim dicit respectu ad charitatem, non ad spem. De hac materia latius Serra hic.

Petes 12. Utrum crescente charitate minuat timor? R. 1. (*Ib. a. 10. o.*) Crescente charitate, crescit timor filialis. Quanto magis enim aliquis diligit aliquem, tanto magis timet eum offendere, & ab eo separari; non quod augetur periculum, quin imò minuitur, sed quia magis apprehenditur gravitas mali. 2. (*Ib.*) Crescente charitate, minuitur timor servilis quoad substantiam; tum quia quanto quis plus diligit Deum, tanto minus attendit ad proprium bonum; tum etiam quia ferventius per charitatem inhaerens Deo magis confidit de premio, ac per consequens minus timet de poena.

Petes 13. Utrum timor remaneat in Patria? R. 1. (*Ib. a. 11. o.*) Timor servilis non remanet in Patria; quia Beati sunt securi de perpetuitate suæ Beatitudinis. 2. (*Ib. a. 1. 2. q. 67. a. 4. ad 2.*) Timor filialis remanet in Patria; quia timor filialis habet duos actus, scilicet revereri Deum, & quantum ad hunc actum manet; & timere separationem ab ipso, & quantum ad hunc actum non manet. Ille autem actus reverentiae tunc fit, quando homo ex consideratione altitudinis divine contremiscit, & in propriam resiliit parvitatem, quo sensu S. Greg. 17. mor. c. 15. intelligit hæc verba Job 26. *Columnæ calis contremiscunt, & pavent ad nutum ejus*: hujusque timoris reverentialis habemus exempla in Scripturis, ut cum Joannes Baptista non audens tangere Christi verticem, clamat cum timore: *Sanctificæ me, Salvator*: Item cum Petrus dixit: *Exi a me, Domine, &c.*

Si dicas: Spes est perfectior, quam timor, quia Spes est respectu boni, timor respectu mali. Sed spes non erit in Patria: ergo nec timor. R. N. Cons. Disparitas est, quod spes importat quendam defectum, scilicet futuritatem beatitudinis, quæ tollitur per ejus presentiam. Sed timor importat defectum naturalem creaturæ secundum quod in infinitum distat a Deo, quod etiam in Patria permanebit; & ideo timor non evacuetur totaliter. Confer, quæ dixi de Incarnat. Dissert. 8. a. 4. Conclusus 1.

ARTICULUS V.

De vitio Spei oppositis.

Duo vitia Spei opponuntur, desperatio per defectum, & præsumptio per excessum.

§. I. De Desperatione.

Desperatio est animi despondio, seu motus voluntatis, quo quis refugit adipisci beatitudinem per media ordinaria.

Dico 1. (*Hic q. 20. a. 1. & 3. o.*) Desperatio positiva, & plene deliberata beatitudinis adipiscende est peccatum mortale, gravius secundum se peccatis, quæ opponuntur virtutibus moralibus, sed minus odio Dei, & infidelitate. Ratio 1. partis, quia desperatio opponitur spei, spe autem salutis facti sumus: Rom. 8. : ergo desperatione perimus. Et quidam desperans magnam injuriam irrogat divine misericordiae, & sibi grave nocumentum, subrahens sibi anchoram salutis. Ratio 2. partis est, quia spes, cum sit Theologica, & Deum immediatè respiciat, est dignior virtutibus moralibus, inferior tamen fide, & charitate.

Dixi 1. *Desperatio positiva*; quia non sumitur hic desperatio privative pro omissione actus sperandi, quamvis & hæc omisio posset etiam esse peccatum, si præceptum sperandi urgeret; sed sumitur pro actu, seu recessu positivo, quo fugit beatitudinem, ut adeptu sibi difficiliorem. Dixi 2. *Plane deliberata*, ut excludatur desperationis motus indeliberati, vel non plene deliberati, orti sæpius, vel ex nimio timore, vel ex vacuitate cerebri, vel ex complexione melancholica, vel ex demonis temptatione. Ad quod debet advertere prudens Confessarius.

Dico 2. (*Ib. a. 2. o.*) Desperatio potest esse sine infidelitate; quia iudicium particulare practicum, quo quis sibi persuadet, quod Deus illi non parceret, quod ad beatitudinem non perducet, & ideo quod non sit sperandum, non destruit iudicium universale speculativum, quo iudicat consecutionem salutis esse possibilem, esse remissionem peccatorum in Ecclesia. Sicut iudicium practicum, quo quis iudicat hic, & nunc sibi fornicationem esse bonam, & eligendam, non destruit iudicium speculativum, quo iudicat omnem fornicationem esse illicitam, & fugiendam. Et ratio est; iudicium speculativum est de re secundum se, practicum autem de re faciendam, vel non faciendam, secundum affectum operantis: & sic ista duo iudicia sunt de diversis formaliter objectis, ideoque non sibi contradicunt. Ita contingit in omnibus peccatis, ut docuimus in Tract. de peccatis Dissert. 5. art. 8. Unde illud vulgatum: *Omnis peccans ignorans.*

Dices: Qui negat aliquam particularem veritatem contentam in universali, negat universalem; sic qui negat Petrum esse mortalem, negat omnem hominem esse mortalem: ergo, qui iudicat suam salutem esse impossibilem, iudicat omnem salutem non esse possibilem. R. 1. D. Maj. Qui negat iudicio speculativo aliquam particularem veritatem inclusam in universali, negat universalem; C. Iudicio practico, N. Quia, ut dictum est, iudicium speculativum est de re secundum se, practicum de re faciendam, vel non faciendam in ordine ad affectum operantis. Unde potest ex aliqua passione, aut mala dispositione istud iudicium decipi, aut corrumpi circa particulare, retentorecto iudicio de re in universali secundum se. R. 2. Transeat totum, nihil contra nos; non enim ut aliquis desperet, est necesse, quod iudicet consecutionem suæ salutis esse absolute impossibilem; sed sufficit, quod ex aliis motivis iudicet, quod eam non consequetur, puta, quia se credit a Deo derelictum, aut non esse prædestinatum, quia frequentius, & facilius labitur, quia media sunt ipsi molestiora, & difficiliora, quia se nimis intricatum reputat, &c. ex quibus motivis animum despondet, & iudicat non esse sibi sperandum.

Dico 3. (*Ib. a. 4.*) Desperatio specialiter oritur ex luxuria, & acedia, specialius tamen ex acedia. Quia homo luxuriosus deditur delectationibus carnalibus bona spiritalia fastidit, & ea non reputat magna, & ardua. Ex acedia autem reputat nimis difficile bene vivere: unde refugit labores bonorum operum. Ideoque luxuria tollit arduum beatitudinis, acedia derogat possibilitati; magis autem est proprium objecto spei, quod sit absolute possibile, quam quod sit arduum, quia bonum, & arduum etiam ad alias passiones pertinent.

Quidam hic operose, & morose disputant, utrum homo, cui de potentia Dei extraordinaria facta esset revelatio suæ damnationis, posset adhuc, & deberet sperare? Dixi: *De potentia Dei extraordinaria*; quia omnes conveniunt cum S. Th. q. 23. de verit. a. 8. ad 2. id fieri non posse de potentia ordinaria, & docet ibid. S. Doct. quod *Si de potentia extraordinaria alicui talis revelatio fieret, deberet intelligi non secundum modum Prophetie prædestinationis, vel præsentie, sed per modum Prophetie comminationis, que intelligitur superposita conditione meritum.* Cujus ergo utilitas sit hæc questio, sicut alia, ut plurimum, quæ sunt de potentia Dei extraordinaria, non video. Quapropter, ne diutius Lectorem detineam in studio inutili, rem paucis expediam. Unde breviter

Dico 4. Homo, cui de potentia Dei extraordinaria facta esset suæ damnationis revelatio; quam revelationem non respiceret ut comminatoriam, sed ut absolutam prædictionem, posset quidem adhuc concupiscere, & desiderare inefficaciter beatitudinem, quia concupiscentia, & desiderium inefficax est de omni bono secundum se, abstrahendo ab hoc, quod sit futurum, vel non; sed non posset, nec deberet sperare. Prob. Voluntas non potest sperare nisi bonum, quod intellectus prudenter iudicat esse futurum; objectum enim spei est bonum futurum; atqui homo, posita revelatione suæ damnationis, non posset pru-

denter iudicare beatitudinem sibi esse futuram, etiam dato quod non vellet huic revelationi assentire, qui non posset prudenter dissentire, cum supponeretur, Deum clarè, & indubitanter revelare; sique beatitudo respectu ipsius desideret esse objectum spei: ergo.

Dices. Supposita revelatione damnationis, salus est adhuc possibilis; cum enim ista revelatio sit salutis extrinseca, nihil in ea mutat: ergo potest adhuc sperari. R. N. Conseq. Quia ad objectum spei non sufficit, quod sit possibile, sed requiritur, quod prudenter iudicetur futurum, & consequendum.

Inst. 1. Plus requiritur ad salutem adipiscendam, quam ad illam sperandam; atqui, posita dicta revelatione, homo potest adhuc consequi salutem: ergo a fortiori sperare. Resp. N. conseq. Quia Syllogismus constat quatuor terminis, & ideo nihil concludit: a salute enim de facto consequenda in majori transitur ad possibilitatem illius in minori; quæ, ut servaretur legitima forma, debisset sic exprimi; atqui posita dicta revelatione homo consequitur salutem; sed tunc fuisset falsa. Plus ergo revera requiritur ad consequendam de facto salutem, quam ad illam sperandam; sed non plus requiritur ad possibilitatem, quam ad spem illius; requiritur enim ad spem, quod possit iudicari prudenter futura; hoc autem non requiritur ad ejs possibilitatem.

Inst. 2. Si Deus alicui revelaret suum peccatum, puta violationem castitatis, posset adhuc non solum illud vitare, sed etiam sperare illud vitare: ergo similiter. R. N. Ant. pro 2. parte; quia in hac hypotesi, sicut in nostra, cum vitatio peccati non posset prudenter iudicari futura, non esset objectum spei; sicut nec salus, supposita revelatione damnationis.

Inst. 3. Iste homo posset adhuc, & deberet conari evitare peccatum: ergo posset sperare illud vitare. R. N. Conseq. Disparitas est, quod objectum hujus conatus, nempe fornicatio possibilis vitari, permaneat, & urgeat præceptum castitatis servandæ, quod violari non potest sine peccato; tenetur autem homo, qualibet suppositione facta, conari non peccare. At non manet hujus spei objectum, scilicet vitatio peccati futura: unde, quamvis præcipitur observatio castitatis, non tamen præcipitur spes illius. Uno verbo, præceptum castitatis servandæ est de presenti, spes illam servandæ est de futuro, quod non potest prudenter iudicari futurum supposita revelatione peccati futuri: sicut salus non potest iudicari futura, supposita revelatione damnationis.

Inst. 4. Non magis erat Reprobo futura salus ante revelationem damnationis, quam post; atqui tamen ante revelationem poterat sperare: ergo & post. R. D. Maj. Non magis erat futura salus absolute in se, & iudicabatur tamen prudenter futura ante revelationem damnationis. C. Et non iudicabatur prudenter futura, N. Voluntas autem sequitur iudicium intellectus. Unde, si intellectus iudicet prudenter salutem futuram, essi fortè secundum se non sit futura, voluntas potest illam sperare.

§. II. De Præsumptione.

Præsumptio apud Juristas accipitur pro actu intellectus, quo ex signis manifestis iudicatur aliquid occultum. Item accipitur pro actu voluntatis, quo quis facit, vel aggreditur facere, quod superat ejus facultatem sive physicam, & executivam, sive juris tantum; juris, ut cum quis sciens, & volens legem transgreditur, quomodo dicitur in Jure: *Si quis hoc præsumperit facere*: executivam, cum quis id, quod superat vires sive proprias, sive quas habet in aliis paratis, aggreditur, ut majora pericula, quam possit vincere, majores absentiam, quam possit sustinere. Quantum verò ad subjectam materiam, & presens institutum, præsumptio definitur potest: *Temeraria expectatio beatitudinis, mediocrum ad illam.* (*Hic q. 21. a. 1. o.*) Est autem temeraria, seu inconsulta, & infundata ex duplici capite, scilicet innitendo nimium propriis viribus, & innitendo inordinate divinæ misericordiæ, & potentie.

Innitendo nimium propriis viribus; (*Ib.*) ut eum qui confidit consequi beatitudinem, aliudve bonum supernaturale propriis viribus, sine Dei auxilio, & misericordiæ, & dicitur nimia confidentia suarum virium. Hæc autem præsumptio opponitur magnanimitati, cuius est hujusmodi spem moderari juxta Regulam rationis, ut illam neque excedat, neque ab ea deficiat. Pro quo vide Tract. de Fortitudine Dissert. 2. a. 2. & 3. Posset tamen etiam dici, quod hæc præsumptio opponatur Spei Theologicæ, in quan-

quantum non expectat Beatitudinem eo modo, quo debet expectari. Innitendo (*Ib.*) inordinate Dei misericordiæ, & potentie, quatenus expectat a Deo Beatitudinem, vel aliud supernaturale eo modo, quo non est possibile illa obtineri secundum legem a Deo constitutam, & nobis notam; ut si quis sperat se veniam peccatorum a Deo consecuturum sine poenitentia, vel gloriam sine meritis, vel sine voluntate servandi mandata divina. Et dicitur nimia confidentia de Dei bonitate, & misericordiæ: nimia, inquam, non ex parte Dei, quasi quis posset nimium sperare a Deo; sed ex parte nostra, quatenus speramus id, quod non est possibile secundum legem a Deo statutam, ut dixi. His positis,

Dico 1. (*Ib. a. 2. o.*) Præsumptio est peccatum, tum quia se habet conformiter ad intellectum falsum, tum quia opponitur virtuti spei. Est peccatum mortale, quia opponitur virtuti Theologicæ, magnamque Deo injuriam irrogat, & magnum homini detrimentum. Est peccatum contra spiritum S. quia auxilium divinum, a quo homo revocatur a peccato, contemnit, quasi non esset necessarium ad merendum, vel ad poenitentiam agendam. Est peccatum minus grave, quam desperatio, quia desperatio contemnit misericordiam, præsumptio justitiam, seu ultionem; Deo autem magis convenit misereri, quam ulcisci; quia est ex se misericors, justus, seu ulior ex peccatis nostris.

Dico 2. Præsumptio non semper tollit spem, nec semper est conjuncta cum infidelitate. Prob. 1. pars. Qui permanens in peccato, nec volens mutare vitam, sperat Deum fore sibi in fine propitium, præsumit; cum enim id rarissime contingat, & paucissima sint tantæ propitiationis exempla, merito dicitur præsumptuosus, qui sic sperat. Sicut in humanis dicitur præsumptuosus, qui se conjicit in periculum, a quo paucissimi evadunt; atqui tamen non amittit spem, quia non destruit rationem formalem objecti spei, sed tantum inordinate sperat. Qui verò speraret, seu præsumeret obtine-

re vitam æternam propriis viribus, vel sine auxilio Dei, amitteret spem, quia destrueret rationem formalem objecti spei. Prob. 2. pars. Quamvis contingere possit, quod quis ideo speret beatitudinem ex propriis viribus, aut sine meritis ex Dei gratia, quia credit beatitudinem sic esse acquiribilem, in quo casu est infidelis; potest tamen etiam contingere, quod quis speret, absque eo quod in intellectu habeat erroneas opiniones speculative teneat; sed tantum quod practice sic intendat salutem, ac si illam expectaret sine gratia: eo modo quo diximus de desperatione.

Petes, utrum peccare sub spe veniæ augeat peccatum, vel minuatur. (*Hic a. 2. ad 3.*) quod peccaret cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniæ non dimittit, sed augeat: peccare autem sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi a peccato, & poenitendi, non est præsumptio, sed peccatum dimittit, quia per hoc homo videtur habere voluntatem minus firmatam in malo. Porro hoc ultimum dicitur S. Th. non esse intelligendum de his, qui proponunt abstinere a peccato in fine vitæ tantum: constat ex prima parte præcedentis conclusionis, in qua diximus, hos esse præsumptosos.

Dico 3. (*Ib. a. 4. o.*) Præsumptio, quæ innititur proprie virtuti, attentans scilicet aliquid ut sibi possibile, quod propriam virtutem excedit, procedit ex inani gloria. Ex hoc enim, quod quis multum desiderat gloriam, sequitur, quod attentet ad gloriam quandam supra vires suas. Præsumptio verò, quæ innititur inordinate divinæ misericordiæ, & potentie, per quam sperat se obtinere gloriam sine meritis, & veniam sine poenitentia, oritur ex superbia, quasi ipse tanti se æstimet, quod etiam eum peccantem Deus non puniat, vel a gloria excludat.

De præcepto spei eodem modo loquendum est proportionem servata; ac de præcepto fidei. Pro quo vide de Fide Dissert. 2. a. 4.

TRACTATUS DE CHARITATE,

D. Thom. a. Q. 23. ad Q. 46.

DISSERTATIO I DE CHARITATE SECUNDUM SE,

D. Thom. Q. 23.

Cum Charitas, amor, dilectio, & amicitia ad idem quoddam modo pertineant, & sint de bono, pauca de eorum notionibus, & de bono prælibanda sunt. Ratio formalis boni consistit (*1. p. q. 5. a. 1. & q. 21. de verit. a. 1.*) in perfectione, non ut constitutiva entis, sed ut convenienter, & coaptata appetitui, atque illius perfectiva per modum appetibilis, & finalitatis, ut latius explicavimus de Deo Diss. 3. a. 3. Deus est (*1. p. q. 6. a. 3.*) bonum per essentiam; quia unumquodque est bonum, secundum quod est perfectum, & in tantum est perfectum, in quantum est actu; esse autem soli Deo essentialiter convenit. Item (*Ib. a. 2.*) Deus est summum bonum, quia omnes omnium rerum perfectiones, & bonitates sunt ab ipso tanquam a causa æquivoce; effectus autem est excellentius in causa æquivoce, quam in se ipso, quia causæ æquivoce producunt effectus sibi inferiores. Vide Diss. cit. a. 4.

Bonum itaque, appetitui propositum, (*1. a. q. 26. a. 1. & 3.*) ut ipsi conveniens, & coaptatum, quasi pondus ipsi movet, attrahit, & inclinatur ad se: & ista inclinatio, seu propositio appetitui in ipsum, dicitur *Amor*, seu complacentia. Si sit cum electione unius boni præ alio dicitur *Dilectio*, ut ipsum nomen sonat. Si sit boni, quod magni pretii æstimatur, dicitur *Charitas*, ut etiam ipsum nomen designat. Si tandem sit cum redamatione, dicitur *Amicitia*.

Amor itaque (*Ib. a. 2. & 4.*) magis late patet, quam dilectio, charitas, & amicitia. Alius est naturalis, quo unaquæque res, etiam non cognoscitiva, appetit bonum sibi conveniens, non ex apprehensione propria, sed ex apprehensione

eius, qui naturam constituit; sic grave dicitur amare centrum. Alius animalis, seu sensitivus, qui sequitur ad apprehensionem sensuum, & reperitur etiam in Brutis. Alius rationalis, qui oritur ex apprehensione intellectus. Et hic est duplex, concupiscentiæ, & benevolentis; motus enim amoris in duo tendit, in objectum, quod amat, & est concupiscentiæ, & in personam, cui amat, & est benevolentis: si quæ sit redamatio ex parte personæ amate, erit amor amicitie. Quod amatur amore benevolentis, simpliciter, & per se amat, quod autem amat amore concupiscentiæ, non simpliciter, & secundum se amat, sed amat alteri. Unde amor benevolentis est amor simpliciter, & amor concupiscentiæ amor secundum quid. De his vide latius Auctorem loci citatis.

ARTICULUS I.

Quid sit Charitas?

Questio est de Charitate habituali: definiri solet *Virtus, divinam infusa, qua Deus propter se, & proximum propter Deum diligitur.* Quæritur in hoc articulo, an sit aliquid creatum in anima, & an sit virtus specialis? Magister Sententiarum dicebat, (*Hic q. 20. a. 2. o.*) quod charitas habitualis esset Spiritus S. mentem inhabitans, inmediate movens ad actum dilectionis, & non mediante habitu, ut fit in actibus aliarum virtutum: & hoc dicebat propter excellentiam charitatis: sed hæc opinio inolevit, & quibusdam videtur damnata, ut patebit ex sequentibus.